



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXIII Megingardvs. XLVII. Arch. II. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

demum annis ferè quindecim Archipræsul simulque Imperii Elector crearetur. Confirmatus in præcelso munere à Clericorum moribus emendandis exordium ducendum ratus, D. Wolfgangi vestigiis insistere, in unam eamque communem omnibus domum Canonicos cogere in curis numeravit supremis. Quare cùm verbis proficeret minùs, exemplo invitos traxit, haud respuens communem domum & mensam. Æquo nihilominus indulgentiorem fuisse ferunt in Adalberonem D. Cunegundis Augustæ fratrem, in æde D. Paulini Præfulem, quòd hic gratiâ Cæsaris Henrici, & multorum potenti amicitia valeret. Inter beatissimas fortes Ludolphi venit Electoratus Imperii à Gregorio V. Pont. & Ottone III. hæredibus destituto Imperatore, ob gravissimas causas institutus. Locum inter septem Viros non uno duntaxat ex capite secundum impetravit Archipræsul Trevirensis, à tanto tempore, nimirum an. 996. circiter usque ad hunc nostrum annum 1725. Ecclesiæ & Imperii decus, & membrum constantissimum, florentissimum. Anno vitæ ultimo, qui fuit Christi 1008. suo etiam suffragio post Romanum Pontificem in Concilio Francofurtensi subscripsit institutioni Episcopatus Bambergensis novissimæ.

S E C U L U M X I.

LXXIII MEGINGAVDVS. XLVII. ARCH.

II. ELECTOR.

Adalbero D. Cunegundis frater, ad S. Paulinum Treviris Præpositus, ut vocamus, indulgentiâ Ludolphi, & affinitatis vinculo, quo Henrico Cæsari iungebatur, identidem audacior, S. Martini Abbatiam veriùs injuriâ, quàm jure venidcavit sibi, pari fermè injuriâ templo D. Symphoriani illatâ. Denique Ludolpho Electore vitâ functo, ad multos simul, velut in fasciculum collectos flores, hoc est, publicos ho-

nores

nones desiderium avidissimum prodidit, suimet sanè proditor perinde factus justissimè. Henricus namque Imperator rei probè conscius, tametsi Ecclesiæ suæ jura integra relinqueret, totus tamen in eo fuit, ut Canonici Electores Megingaudum ex multis meritis laudatissimum Moguntia Præpositum Archipræsulem, & Electorem Treviris præficerent, quod ritè factum multis detestatus est modis Adalbero in malo pertinax Princeps; quod ipsum dein testata est Ecclesia & Imperium; postquam nempe Adalberonis instinctu plures in Imperio Viri Principes adversus Cæsarem arma induere non sunt veriti, damno Trevirensium maximo: donec denique anno sæculi XI. duodecimo Adalbero pœnitentiâ ductus sapuit, & cuique suum reddidit: Megingaudus verò naturæ debitum solvit Confluentia an. 1016. Sedit an. 8.

LXXIV. POPPO. XLVIII. ARCH.

III. ELECTOR.

Poppo Leopoldi cognomento Illustris Austria Marchionis filius, à D. Henrico Cæsare commendatus, & ab iisdem Archipræsul electus, non minùs Trevirensium Elector, quàm Bambergensem Ecclesiam, cuius antea Præpositus, suis virtutibus illustravit. Dum Romam ex Germania abiit, pro more pallium petiturus à Pontifice, interea & Adalbertus Dux, & Adalbero ad vomitum rediens, unà cum prædonum caterva Treviros infestavit. Verùm armis, & stratagemate victus, & captus uterque, Popponi dedit manus. Reddita proinde castella, templa, & Sarburgum ab Adalberone conditum. Accepta datâque pace Ecclesiasticorum virorum sceminarumque mores sedulò examinati, ad justissimam iram provocârunt Popponem, quem nomine, non re Virgines claustris minùs bene custoditæ, philtro etiam ad libidinem provocare non sunt veritæ: unde atro calculo notata est ipsis illa dies. Interea Imperator Henricus laudata in omnibus insigni Popponis industriâ maximè beneficium se exhibuit